DE ERYSIPELATE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD LAUREAM...

Enrico Tosi

DE

ERYSIPELATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

Ad Lauream Medicam

RITE OBTINENDAM

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

HENRICUS TOSI

EX MANTUA

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII.

CLARO

DOCTORI ANDREÆ LEGATI

CUI

DULCI HÆREO VINCULO

MEÆ MENTIS TREPIDÆ

TENTAMEN PRIMUM

IN MEDICIS DOCTRINIS

QUIBUS

MIRA PERITIA

ILLE PERFUNGITUR

D. D.

DE ERYSIPELATE

Erysipelatis verbum, nonnullorum etymologiam inquirentium sententia, ab ἐρύω traho vel ἐρυθὸς *ruber*, πέλας *prope* procederet, quod idem ac *rubefaciens vicinas partes* sonat; haec autem etymologia verbum explicare haud valet, neque de illius significatione nostrae menti lumen infert. Erysipelas revera nisi quam cutis est inflammatio communis, quaproter ab aliis cutis inflammationibus, ab exanthematibus nempe et impetiginibus discernitur, quam hae affectiones circumscriptum locum teneant, ed indolem contagiosam specificam ostendant.

Erysipelas frequentissime occurrit, et neque aetati, neque sexui, neque temperamento parcit, hocque clarius adparet 1.) conditionum organi, quod afficitur, causa. extensionis scilicet atque quamplurimarum cum aliis corporis partibus nec non cum macrocosmo relationum; 2) ob stimulos innumeros intus et extra in communia tegumina agentes.

Erysipelatis Divisiones

Pauci sunt morbi, qui tot tantasque divisiones prae illo, de quo sermocinamur, subiverint. Praecipuas vero ad sequentes reduci censemus.

1. Quoad locum — Tot erysipelatis species quot sunt organismi regiones enumerari queant, nam ubicunque derma extenditur huic malo grassari datum est. — Loca vero maxima attentione digna occurrunt; facies et capillitium, maris pudenda et extremitates. Etsi, externus morbus sit erysipelas, aliqui tamen scriptores internum quoque illud admittunt; ita P. Franck de naturalium cavitatum involucri nec non viscerum superficiei erysipelate sermonem tenet. Quae erysipelata vero, quum nisi quam communes meningitides, pleuritides, peritonitides etc. sint dijudicanda (quamquam erysipelati valdopere comparentur, imo unus idemque morbus credi possint) qunmque semper ab antiquissimis temporibus usque erysipelatis nomen externae tantum cutis inflammationi tributum fuerit; ita nos antiquorum judicium sequi putamus.

2. Quoad formam — Erysipelas simplex, phlegmonosum, phlyctenoides s. vesiculare et oedematodes recensemus. — Simplex illud est quod modo ab essentialibus erysipelatis phaenomenis componitur, videlicet praeprimis roseo colore, a digiti etiam levi pressione fugando. Phlegmonosum s. quod phlegmonis vestem induit, rubro intense atque profundo colore, pressionis ope nequaquam mutando, nec non tumore adparet. Phlyctenoides, miliare, vesiculare s. bullosum vocatur, si cum epidermidis evulsione comitetur, ita ut minimae bullulae super cutis superficiem evolvantur. Oedematodes, sub oedamatis calidi, inflammatione detenti, forma in scenam venit; per dermatis insuper crassitiem et serosam in sub-

cutaneo cellulari textu effusionem dignoscendum. Aliqui ut erysipelatis speciem erythema, zosterem et pernionem adnumerant. Sed erythema persuperficiale, circumscriptum, topicum est erysipelas, quod simplici rubore ad aliquas partes, ad nasum, scrotum, mentum etc. patefit, affectionis modo localis, afebrilis ad instar decurrens. Zoster erysipelas est vesiculare alterutram superficiem adgrediens, et zonae s. fasciae cutis inflammatae, bullulis s. vesiculis miliaribus onustae, sub forma comparens. Pernio macula est subrubens ex frigore quibusdam in partibus et praecise aëri magis expositis, e. g. naso, auribus, ast praecipue manibus pedibusque excitata. Quae affectiones qua formae peculiares ejusdem morbi considerari merentur.

3. Quoad causas seu derivationem — erysipelas idiopathicum, sympathicum, metastaticum, sporadicum atque epidemicum agnoscitur.

Idiopathicum, primitivum s. essentiale a causis, directe in partem ab erysipelate affectam cutis, determinatur, quae affectionem essentialem, primitivam, idiopathicam producere valuerant; hujusmodi sunt ictus, vulnera, ceteraeque omnes cutis alterationes ab agentibus externis productae, chymicae insuper substantiae vel ignis actio. Hisce in casibus erysipelas a causis localibus productum vocatur.

Sympathicum s. secundarium a partium longinquarum affectionibus promovetur, nec non pabulum acquirit causa sympathiae quae inter eas atque cutim interest. tali modo gastricum, biliosum ex alterationibus in primis viis sitis

enasciter — a causis internis erysipelas quoque vocatum.

Metastaticum si ex interna, intercepta, in cutem reflectenti inflammatione evolvatur.

Sporadicum a causis peculiaribus productum sive unam, sive plura individua singillatim aggreditur.

Epidemicum: a communibus causis pendens uno eodemque tempore plura individua corripit; ad quod rheumaticum, epidemica nota crebro signatum, pertinet.

4. Quoad decursum — acutum vel chronicum, fixum vel erraticum erysipelas occurrit. Plerumque verum acutum est erysipelas, attamen aliquando, ob causarum pervicaciam longius perdurat, tumque chronicum vocatur, absque stadiis determinatis progrediens. Fixum si regionem ipsam, in qua primitus evolutum est, per integrum suum decursum teneat.

Erraticum, ambulans, vagum, quod ex uno in alium locum transgreditur. Idiopathicum generatim fixum observatur quia ad phlegmonosam statum tendit: sympathicum e contra persaepe vagum habetur. Hic locorum autem erraticum e metastatico distinguere est; quia proprium hujus videtur non modo ab internis ad externas partes, verum etiam ab una ad aliam externam, intermedius immunibus, transvolvere, ut in neonatorum erysipelate innotescit.

5. Quoad exitus — in purulentum, ulcerosum, gangraenosum atque malignum incidimus.

6. Quoad febrim concomitantem — de inflammatorio, simplici, gastrico, bilioso, typhode,

nervoso, rheumatica, juxta febris ipsius characteres, est pertractandum.

Erysipelatis causae

Summatim innumeras erysipelatis causas sumptas in externas atque internas dividimus.

Ad primas sequentes referendae videntur:

1. Chymica agentia quae cutim immediate afficiunt: ignis ad frequentiora pertinet, namque primus ustionis gradus, nisi quam erysipelas est existimandus —

2. Agentia et actiones mechanicae, idest instrumenta, vulnera etc. —

3. Substantiarum acrium, irritantium, e. g. vesicantium, sinapismorum, ichoris, puris adplicatio, nec non excrementorum attactus —

4. Nonnullorum inter venena sumptio, alimenta cruda et peculiaria, uti squali hepar; ostreae, succidiae, carnis exsiccatae anserisque abusus —

5. Non adhuc ponderi subjectorum actio; ita insolationis, refrigerii etc.

Inter secundas recensetur:

1. Naturalis communium tegiminum ad erysipelas dispositio ab aetate infantili, sexu feminea, temperamento bilioso repetenda; pueri magis ideo huic morbo cutis teneritudine, mollitie, nec non vasorum copia disponuntur: ita quoque feminae ob cutis teneritudinem; biliosa temperamento donata individua ob bilis in cutem influxum —

2. Labes generales, uti rheumatica, arthritica, scrofulosa —.

3. Organicae materiales alterationes, infra cutem adparentes, tumorom videlicet evolutio; seri, puris effusio, profunda exanthemata cutis inflammationem inducentia —

4. Fluxuum naturalium, ut epistaxeos, haemorrhoidum, menstruorum etc. retentio —

5. Internae inflammationes, quae motu abnormi in loco evolutionis cessantes cutem petunt —

6. Nulla vero causa tam frequenter, quam in primis viis alteratio, videlicet saburrae gastrica et biliosa, occurrit: quae vero sive ab alimentorum, sive a bilis, sive ab interiorum succorum quantitate aut indole prava originem trahere possunt. Gastricum, biliosum erysipelas epidemicum aestivo tempore viget a dominante atmosphaerae constitutione inductum, quae organa digestioni dicata praecipue nec non renes succenturiatos conflictat, et erysipelas qua simplex epigenomenon tam palam se facit. Quae causae non eodem agunt modo; internae generatim qua simplices opportunitates, ad morbos dispositiones — qua stimuli occasionales externae in conspectum veniunt; tandem aliquando simul consociantur et ad unam eandemque finem s. erysipelas confluunt.

Symptomata atque diagnosis.

Erysipelas tum localium tum universalium phaenomenorum ope facile dignoscitur.

Localia ea ipsa sunt inflammationis ad cutem adplicite, nempe:

1. Color roseus, sive rubor, plus minusve manifestus, plus minusve diffusus, a pressione delendus, maculam albam relinquens, qui color vero, pressione ablata, redit —

2. Tensio cutis una cum splendore, et distensione comitata —

3. Tumor expansus atque diffusus; qui vero, quum in levi atque vago erysipelate deficiat, statim ac fixum evadat, prodit —

4. Ardoris et pruritus sensus —

5. Color magis sensibilis partem tangenti adparens —

6. Cutis arida siccaque.

Quoad roseum colorem, si erysipelas faciem, magis ipsi obnoxiam, obruit, io puncto, v. g. naso, labiis, incipere solet, ex quo sicuti e centro ad peripheriam, ad totam vel ad lateralem partem dimidiam diffunditur: tum etiam non raro fit, ut, quum rubescendo facies tumefiat; oculi claudantur, lingua siccitate afficiatur, physiognomia turpis adpareat; dum vero inflammatio ad meninges tendat, torpor, stupor somnolentia et sub delirio vaniloquium quoque scenam ludunt.

Phlegmonosum erysipelas profunde rubro colore, a pressione non delendo, cutem tingit, tumor vero ac in simpliei elatior est. In bilioso color usque ruber, aliqua flavedine commiscetur, et cutis reliqua icterico colore obvestitur.

Phlyctenoides bullulas margaritaceas sero repletas ostendit. Oedematosum oedema calidum, inflammatorium, fixum eodem in loco praestat; erraticum regiones matat, primitus conflictatas squamis obtectas relinquens.

Quum morbus hic, a causis externis originem repetens, circumscriptum et leve adparent, affectionis localis, afebrilis more stadia sua complet; rarius vero hoc evenit, nam etiamsi ad parum elatum gradum attingat, febris cito sequitur; si autem causa generalis illum produxerit, statim ac erysipelas erumpat, febris silet, numque decursum morbus exerit: febris tandem quoad causam characterem mutat; ita febris rheumatica seu catarrhalis, gastrica, biliosa oritur, et nomina ipsa erysipelas, qua epigenomenon tunc judicandum, assumit. Si morbus noster senes viribus exhaustos corripiat, febris in typhoideam vertitur, sub delirio, cutis ariditate consociatam. Animadvertendum tamen est typhum saepe saepius in capitis erysipelate dolosum fieri, quum nonnisi a meningum affectione, methodo antiphlogistica fuganda, originem agnoscat.

Erysipelatis diagnosis: *a*) a causarum judicio, *b*) a localibus et *c*) generalibus symptomatibus eruitur.

Erysipelatis decursus.

Erysipelas inter acutos morbos, febriles, exanthematicos recensentur; quamobrem decursum sequens, periodos hujuscemodi proprias describit. Revera, nisi semper, stadia prodromorum, invasionis, eruptionis, incrementi, exitumque saepissime perficit. Migrandi facultas quam recensuimus, erysipelatibus a causa praecipue in-

terna gastrica, biliosa, atque refrigerio prodeetis, internarum quoque membranarum inflammationi propria est, levitatis phlogoseos vel naturae textus, vel superficiei extensionis, vel tandem exilitatis organi ipsius affecti causa: namque, quum inflammatio inter amplicis irritationis vel levis phlogoseos limites restricta maneat, quin exitus materiales prodeant, ex uno loco ad alium facilius transit.

Erysipelas ergo, postquam duos tresve dies in eruptionis loco stiterit, incipit transvolvi, ita e facie ad aures, cervicem, collum, humeros, nec non ad omnem trunci superficiem, extremitates proserpit; tane vero magis extensas plagas, mitius factum, obtegit. Si porro e majori ad minorem extensionem gressum faciat, e. g. ab humero totove artu manuum petat, contrarium evenit, gravius nempe evadens exitibus gravioribus desinit. — In chronicam affinile erysipelas aliquando vertitur, hocque praesertim si orura adfectet, ubi fixum fit varias formas, psoriaseos, erythematis induens non mutando cutis colore apparens, et continuas epidermidis desquamationes celebrans. Quum e chronicitate insuper de causarum pervicacia autumetur, has ipsias conditionibus haerentes observamus; unde modo varices, modo textuum generalium ac localium atoniam, modo autem habitudines, quibus humorum cursus praepediatur, spirituosorum abusum, ulcerum praegressorum cicatrices arguimus. Haecce ipsae causae, uti labes, plethora, alvi habitualis segnities, vel menstruorum suppressio, magis generales haud esse nequeunt. —

Oportet ergo omni diligentia individuo animum intendere, ut causa erysipelas sustinens eruatur; nam haud raro hic morbus sponte simplicibusve therapiae viribus redit.

Erysipelatis exitus.

Omnes inflammationis exitus erysipelati quoque pertinent, inter quos resolutio, metastasis, exsudatio serosa, suppuratio et gangraena habentur.

1) In resolutionem levia, diffusa, a sympathia exorta erysipelata frequentius, in perfectam rarius tamen desinunt; effecta quidem resolutio statuitur etiam phlogosi deleta e regione conflictata si epidermis sub squamulis, pulvisculo vel furfure divellatur; nam levitatis causa phaenomenon hoc parvi fit.

2. Metastasis seu erysipelatis transitus ab externis ad internas, vel a quadam externa ad aliam regionem, illaesis interpositis, minime raro eveniens, dum ad superficiem contingat, periculo caret; e contra si thoracis vel abdominis viscera aggrediatur.

Metastasis locum habet: *A*)

Ob morbi ipsius characterem, namque ea ratione qua, quum in alias regiones immigrat, gradum mutat, ea ipsa sedem etiam longinquam petit —

B) Ob diaeteticos errores vel refrigerium partem adfectam per aërem, fomenta aggrediens, et adstringentium pharmacorum adplicationem.

Metastasis diagnosi patefit:

a) Si extemplo erysipelas deleatur —

b) Ex phlogoseos symptomatibus aliquod organon eodem tempore invadentibus —

3. Seri exsudatio s. hydrops qui frequenter resolutionem subsequitur, quae vel in cutis superficie sub epidermide, vel in textu cellulari subcutaneo contingere solet.

Bullosi erysipelatis effusio serosa cutis superficiem usurpat; unde epidermis sejungitur, bullis inde erumpendis effectis, ex quibus humor contentus fluit.

Quum exitus hic in textu cellulari subcutaneo fiat, erysipelas oedematosum producit, una cum oedemate phlogosi modo disparente, modo manente ad frigidum tunc oedema sive leucophlegmasiam simplicem constituendum. Oedema semper faciei, palpebrarum, penis, scroti, magnorum labiorum nympharumque erysipelas vix prodiens una cum tumore comitatur. Tumor praeterea aliquando copiae liquidi causa, juxta Monteggia, simulator; hujuscemodi tumores cubitum, magni olecrani latera, rotulam, trochanteres omnesque regiones, copioso cellulari textu laxo magnisque cavitatibus praeditas corripiunt; punctura vero diagnosim confirmat.

4) Suppurationem, et exulcerationem nonnisi erysipelata gravia, fixa, localia phlegmonosa tribus in locis, ideat vel supra, vel sub, vel infra corion, gignunt. Primo in casu, qui levior est, vesiculari erysipelati suppuratio succedit, namque bullis eruptis, loco lymphae, ob superficiel corii abrasionem, pus (duos tresve dies perdu-

rans, epidermidis reproductione succedente) exinde fluit.

Casus gravior habetur, quum textus cellularis subcutanei in circumscripta cavitate pus colligatur, ut in phlegmone ad suppurationem perducto: quod si diffusa sit suppuratio gravitas adaugetur; hinc textus cellularis subcutaneus purulenta infiltratione in flavo-viridem colorem mutat, mollescit, characteres anatomicos amittit, et gangraena obruitur, quem tristissimum exitum cutis etiam superposita, sola phlogosi detenta, emollitione passa, indeque absorpta, inire potest: unde et fibres suppurativas, pergraves accessus quoque celebrantes, exoriri, harumque influxu miseri aegroti vitam in maximum discrimen versari videmus.

5) Gravissimus valde crebro eveniens erysipelatis exitus gangraena habetur, cui circumstantiae faventes sunt:

a) Partis inflammatae tenuitas

b) Cutis sublato

c) Peculiaris illius asthenia

d) Generalis aegri quoque asthenia sicuti puerorum vel senum, qui morbos graves sunt perpessi

e) Febris typhodes vigentas

f) Textus cellularis substantis suppuratio

g) In partem inflammatam decubitus

h) Aerium materierum e. g. excrementorum adplicatio

i) Causae ipsius natura peculiaris; erysipelas ideo gastrico-biliosum hunc exitum frequentissime gignit

l) Peculiaris atmosphaerae constitutio etc.

Circumscripta gangraena parvi est momenti; magni vero pro diffusionis gradu, quum aegri vires destruat, et febres adynamicas lethales producat.

De Erysipelatis Prognosi.

Erysipelas majus phlegmone periculum includit; de quo, juxta organi affecti dignitatem, morbi gradum, non tam e profunditate vel gravedine, quam e superficiei extensione desumptum, juxtaque exitum nec non naturam, sententia affertur. Periculi gradus attamen pro illo inflammationis, individui qualitate, exitu curaque adhibita modificationem adipiscitur. Erraticum, circumscriptum, leve, decursum regularem sequens, in individuis robustis, quum facili modo sanationem attingat, fere periculo caret; grave, profundum seu valde extensum, absque norma, per saltus imo decurrens, gravissimos inter exitus promovens, in pueros, senes, cachecticos agens, non congrua methodo oppugnatum, periculo maximo adficitur.

Nisi resolutionem obtineat, ad alios morbos, qui modo varii exitus sunt, erysipelas iter facit. Inflammationis extensio vero, metastasis diffusio progrediens ad organa maximae dignitatis, febris inflaaus, vel indirecte exitus ipsi, uti suppuratio copiosa, extensa gangraena, miserum aegrotantem supremo die percutere valent.

De Erysipelatis Therapia.

Cura in prophylacticam et propriam dividitur. Prima de causis abigendis, erysipelas inducentibus pertractat, ut effectus antevertant, sistat. Prophylaxis ergo quoad causas est dirigenda: in refrigerio pars foveatur, insolationem refrigerium oppugnet; sanguinis depletiones plethoram fugent, fluxus menstruus retentus vel suppressus evocetur, semperque causarum effectus mites reddantur.

Cura propria *localis* et *generalis* efficitur; illa in erysipelata simplicia, superficialia, erratica, levia, sympathica, sive non utilis sive etiam damnosa evaderet; sufficit tantum linteamine partem obtegere, et juxta febris characterem, generalem curam instituere — gravia e contra, diffusa, localia ex mechanicis seu chymicis agentibus localem curam petant, auxiliis sequentibus curanda.

1. Frigus sub simplicis fomenti forma, balneum Smukerii in primis in individuis bonae constitutionis, in erysipelata a chymicis vel mechanicis agentibus, igni etc. valde a theoria commendantur; attamen praxis timet, quum erysipelatis retrocessio, vel gangraena exinde induci possit; quamobrem summa cautela hac auxilio utamur, a quo vero statim ac aeger impatiens fiat desistendum.

2. Sanguinis emissio localis in fixum, circumscriptum, phlegmoneum tantummodo, maxima utilitate praedita, praesto est: nisi talis morbus se

habeat, cavendum ne hirudinum irritatione cutis facile inflammandae phlogosis exacerbetur.

3. Emollientia, ut in phlegmone, sub cataplasmatum vel simplicium fomentorum forma, juxta nonnullos, neque emolumento sunt, neque ponderis causa tolerantur; casus revera non deficiunt, in quibus, ut doloris atque tensionis vis infringatur, ab aegro desiderantur, et aliquod illi levamen producunt; quapropter morbum palliative mitigant.

4. Sambuci, lapati acuti infusio, illinisque aqua sub morbi fine valent epidermidis desquamationem praepedire.

5. Adstringentia mitiora, plumbi praeparata, e. g. aqua vegeto-mineralis Goulardi, illa calcis, sambuci et spiritu vini roborata, saeculi herbarum aromate divitam, dummodo ab aegris tolerati, in chronica oedematosa erysipelatis ad seri absorptionem favendum, maxime juvant.

6. Farinae resolventes fabae, lupini, secalis, tritici antiquitus valde commendatae, nunc rarius utilitatis suppositae inopia, immo quod pandere efficiunt, ut morbos irritationem et gravitatem patiatur; attamen sub illius fine valent resolutioni favere, cutem ad exsiccationem perducere, desquamationem detinere.

Fatendum verum est erysipelatis curam ab empirismo pro maxima parte quoque duci. Plerles vero exitum faustum protendimus dummodo leges practicas sequentes adimpleamus.

a) Si levis sit morbus, curatio generalis sufficit;

b) Si gravis, localis etiam per antiphlogistica, emollientia aliosque empirico-rationales modos exorenda addatur.

Generalis therapia febris characterem qua decem sequator, qui quam inflammatorius sive simplex, sive rheumaticus, catarrhalis, gastricus, biliosus petefiat, methodo antiphlogistica, evacuante opus est; octoginta ex centum erysipelatis casibus tali modo curandi occurrunt. Venae sectio, etsi minus vere crebre, virium delasmationis causa, aliquando tamen est emolumento, ita ut P. Franck retulerit venae sectionem interdum ad pulsus ictus compescendos phlogosimque localem delendam remedium utilius sistere: evacuantia dein, tartarus stibiatus, ipecacuanha, eccoprotica mitiora, sales nempe medii, cremor tartari, pulpae vegetabiles, tinctura rhei aquosa praescribenda obveniunt, quorum usus ad morbi febrisque consumptionem usque est protrahendus.

Sub erysipelatis decursu, typhi phaenomenis comparentibus, eo quod difficilius an realia an adparentia sint primo intuito dignoscitur, ita cura omni suspensa, methodo negativa necesse est, usquedum signa determinata compareant, in quae tonica stimulantiaque pharmaca, videlicet chinae decoctum, camphora, vinum, aquae aromaticae certamen edant.

Desquamationis et effusionis exitus curam nullam requirunt: vesiculae dummodo ruptura tempore convenienti minime contingat, chirurgico auxilio fieri potest; quum tumor oedematosus circumscriptus in scenam venerit, neque

phlogosi decrescenti resolutionem ostendat, compressio resolutioni faveat, vel puncturae ope humor contentus fluat; suppurationi et gangraenae juxta generalia therapiae praecepta provideatur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Vis medicatrix naturae multos generat medicos.

II.

Pulmonalis transpiratio uti et alia organismi secretio habenda est.

III.

Arteria sic dicta pulmonalis non est arteria pulmonum.

IV.

Inflammatio directe ne unam quidem moleculam organicam destruere valet.

V.

Duodenitis, quin icterus evolvatur, locum habere potest.

VI.

Polyuria cum diabete sane non confundenda.

VII.

Ab ossificationibus lithiases arteriosae valdopere differunt.

VIII.

Amor infelix morborum psychicorum fertilis genitor.

IX.

Vulnera per se lethalia non amplius a medicis legalibus admittenda.

X.

Medicus uni tantum theoriae addictus nunquam optimus dicendus.